



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 6. An ad valorem Matrimonii requiritur consensus parentum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

licet si turpis, ut si quis dicat: contraho tecum eâ conditione, ut victum furto quæras, vel etiam sit absolutè impossibilis, ex cap. cit. ibi: *Licet alie conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* quæ constitutio ex De Lugo, valet etiam in foro interno, quando aliunde non constat de carentia consensûs. Quamvis enim Ecclesia non possit supplere consensum Matrimonii, si desit, (cum nulla potestas humana possit dare potestatem tui corporis ad usum conjugii sine tuo consensu:) tamen cum præsumantur contrahentes (nisi aliud constet,) voluisse contrahere Matrimonium secundum leges, & sensum, quo verba in Jure intelliguntur, rectè censentur implicite voluisse, non obstante conditione impossibili aut turpi, contractum valere. Cæterum in foro conscientie standum est dicto contrahentis, an habuerit verè intentionem contrahendi, non obstante tali conditione: quam si non habuerit, nullum est Matrimonium ob defectum consensûs; nam consensûs sub conditione non est actu nisi positâ conditione: si ergo conditio non potest poni, nunquam erit consensûs.

Q. 6. An ad valorem Matrimonii requiratur consensûs parentum?

Resp. Neg. ex Trident. sess. 24. c. 1. ubi Eos anathematè damnat, qui falsò affirmant Matrimonia à Filiis - familias sine consensu parentum contracta, irrita

irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse. Sed addit ea semper fuisse ab Ecclesia prohibita. Sunt etiam juxta præceptum divinum honorandi parentes, nisi ipsi suum consensum rogati, sine justa causa denegent, ita ut non sint rationabiliter invitati.

Porro in Gallia Matrimonia sine consensu parentum contracta, non censentur invalide contracta, nisi quoad aliquos effectus civiles, ut declaravit Ludovicus XIII. & habetur in Actus Cleri Gallicani Tom. III. Imò valent etiam quoad illos, si Filii familias excedant annos 30. & filia 25. modò scriptis requisierint consilium parentum, ex edicto Henrici II.

Q. 7. *An Matrimonium valide contrahitur per Procuratorem, & inter absentes?*

Resp. Aff. Quia 1. Ecclesia sic contrahi permittit, ut patet ex praxi præsertim inter Principes. 2. Alii contractus valide fieri possunt inter absentes per Procuratorem vel per litteras: ergo & Matrimonium; nam Christus evehendò contractum Matrimonii ad rationem Sacramenti, nihil immutavit de natura contractus. 3. Sic valide contrahebatur ante Trident. ut patet, ex c. ult. de Procurat. in 6. ubi Bonifac. VIII. id expressè declarat. Trident. autem non irritavit, nisi Matrimonia clandestina: at ea, quæ per Procuratores fiunt coram Parocho & Testibus, non sunt clandestina.

Sed ex eod. c. ult. de Procurat. in 6. ad tale